



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis XIV. Ad Martii secundum Casum. Argumentum. Quæritur: an liceat communicare cum speciebus vini consecrati moribundum, non valentem deglutire Sacram Hostiam? Ostenditur, in Primativa ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

Aliud

Cum superioribus diebus consulta hac Sacra Rituum Congregatione, an esset permittendum celebrari in media nocte Nativitatis Domini, post Missam decantatam, successive alias duas Missas, & in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus, illam deposcentibus; & respondisset, non esse permittendum; sed omnino utrumque prohiberi: Nihilominus nonnulli Regulares, asserentes hoc licere, supplicarunt audiri. Et S. Congregatio ipsi auditis, cum Procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Emin. Palotti stetit in Decretis; & respondit iterum prohibendum, tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Ecclesias, & Communionem deposcentibus. Die 7. Decembris 1641. Quorum Decretorum duplicata expedita fuerunt die 9. Augusti 1653.

C. Episc. Hostien. Card. Medic. Praefect.
Loco † Sigilli

Bern. Roccius S. Rit. Congr. Secr.

In Regist. fol. 144.

Haec Decreta, à me reperta penes duos supra allegatos Auctores, satis me suatum faciunt, non esse apocrypha, sed vera, & ideo eorundem observantiam amplectendam censeo; tanto magis, quia eis etiam circumscriptis, opinio contraria caret ratione; siquidem ad celebrandas tres Missas, post medium illius Sanctae Noctis, opus est duplici dispensatione; una, ut quilibet Sacerdos possit ter celebrare, altera ut celebratio fiat tempore nocturno; utrumque enim est prohibitum de iure communi, & de Universali Ecclesiae consuetudine d. cap. Sufficit. de consecr. dist. 1. cap. Consulisti 3. & cap. Te referunt 12. de celebrat. Missar. Concil. Trident. sess. 22. cap. Quanta, ibi, Caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent. S. Pius V. in sua Const. 4. Et Rubrica Missalis tit. 15. n. 1. & num. 4. ubi in specie praescribitur tempus celebrandi dictas tres Missas in Nativitate Domini, videlicet. Prima dicitur post mediam noctem; Secunda in aurora; Tertia vero in die. Modo Thelephorus Papa concessit privilegium singulis Sacerdotibus, & dispensavit, ut in Nativitate Domini celebrent tres Missas cap. Nocte Sancta 48. de consecr. d. 1. Sed quia non dixit in textu, quod de nocte ipsae tres Missae possint celebrari, recurrendum est ad universalem consuetudinem, à qua privilegium recipit interpretationem cap. Quod dilectus, de consanguin. & affinit. Rota part. 3. recent. decis. 29. nu. 2. Card. Mant. decis. 320. num. 5. Porro consuetudo universalis est, ut prima Missa in nocte; Secunda autem in aurora; servato silentio, & proscriptis celebrationibus, tempore nocturno perecurrente inter has duas Missas. Ergo ab hac consuetudine interpretativa non est recedendum. Probus ad Monachum in Rubr. de privil. num. 5. lib. 6. Neque relevat, si aliqui Regulares, vel alius Sacerdos contrarium observasset, quia cum eorum observantia sit difformis ab usu Ecclesiae universalis, non est attendenda; ex doctrina Bartoli in l. 2. n. 22. ff. Solut. Matrim. Rota coram Merlino decis. 99. n. 6. & Pignatell. tom. 6. consil. 98. n. 70.

Præterquam quod, ut observat Emin. Cardin. Brancatius in d. Dissert. de privil. Capell. Cardinal. pag. 7. & 8. semper fuit in usu petere facultatem à Summo Pontifice celebrare faciendi Missam nocturno tempore, & ante auroram; prout concessit Urbanus IV. Marchioni Misinensi Doct. Clericali Tom. I, Liber II,

anno 1264. Bonifacius VIII. Catharina Imperatrici Constantinopolitanae anno 1301. Clemens V. Philippo Principi Tarentino anno 1312. & Joannes XXII. Philippo Regi Franciae anno 1316. ut refert Odoricus Raynald. in suis Annalib. Ex quibus bene infertur, non esse licitum de iure communi celebrare Missam nocturno tempore, cum ad sic celebrandum opus sit privilegio. Gloss. in cap. 1. de Rescript. Fagnanus in cap. Pastoralis num. 10. de Appellation.

Illud videtur laudandum, & concedendum, quod Parochi habentes ter, vel quatuor millia animarum, quibus danda est Sacra Communionis in Solemnitate Natalis Domini, possint, post celebratam primam Missam in media nocte, audire confessiones virorum, eorumque reconciliationes Sacramentales, & in aurora eos communicare; deinde orta luce confessiones mulierum excipere; quas non decet nocturno tempore, id est, prima Missa mediae noctis completa, ad sedem confessionalem admittere, resistentibus Synodalibus nostris Patavinis Constitutionibus part. 2. cap. 14. vers. Fidelium confessiones in templo, non autem in privatis adibus; Mulierum vero non ante Solis ortum, non post occasum quis excipere praesumat. Quod potuit esse motivum Sacrae Rituum Congregationis proferendi doctrinam eorum, qui asserabant, licere eam nocte sanctam continuo celebrare, & communicare fideles; ne scilicet daretur occasio alienius scandali, detinendo mulieres in Ecclesia nocturno tempore, earumque confessiones excipiendo ante lucem; mulierum enim consortium semper est periculosum. cap. Diffinitus. 18. q. 2. cap. mulieres. 2. de iudiciis, in 6. 22

DECISIONIS. XIV.

Ad Martii secundum Casum.

ARGUMENTUM.

Quæritur, an liceat communicare cum speciebus vini consecrati moribundum, non valentem deglutire Sacram Hostiam? Ostenditur in Primitiva Ecclesia fuisse in usu communicare fideles sub utraque specie. Agitur de qualitate Calicum; qui adhibebantur in Missa, & pro Communionem populi. Exponuntur industriae Ecclesiasticorum veterum, ne effunderetur Sanguis Domini in communicandis Laicis. Refertur, quomodo Communionis Calicis in defuetudinem ierit; & quando fuerit prohibita Laicis ab Ecclesia. Ex his negativè responderetur Casui proposito.

SUMMARIUM.

- 1 Communionis sub utraque specie olim dabatur fidelibus in Missa solemnem tantum; extra vero sola sub specie panis.
- 2 Patavina in Ecclesia Cathedrali ad Missam solemnem Episcopi fideles communicabantur sub utraque specie adhuc saeculo duodecimo.
- 3 Calices olim lignei, deinde vitrei, marmorei, aerei, ex aurichalco, & stamno.
- 4 Virgilius Spada Presbyter Congreg. Oratorii Roma laudatus.

G

5 Ca-

- 5 Calices plures adhibiti in Cœna à Christo Domino.
- 6 Diaconi in Missis solemnibus dispensabant Sanguinem fidelibus communicantibus.
- 7 Virga, seu fistula fideles sorbeant de Calice Sanguinem Domini.
- 8 Communio cum pane intincto in Sanguine Domini dabatur.
- 9 Communionem sacrati panis intincti in Sanguine dant Græci fidelibus etiam in hodiernum diem.
- 10 Communio, quam Græci dant infirmis, quam sit?
- 11 Moscovitæ, & Russi Communionem recipiunt ex pane sacro intincto in Sanguine Christi.
- 12 Communio sub utraque specie cepit in desuetudinem ire ob frequentes effusiones cum irreverentia Sacramenti.
- 13 Hussita heretici dicebant Communionem sub utraque specie esse necessariam ad salutem.
- 14 Joannes Hus Bohemus Hæresiarcha anno 1407. à Concilio Constantia condemnatus, & igne combustus.
- 15 Concilium Constantie anno 1415. confirmavit consuetudinem communicandi populum sub sola specie panis: & prohibuit Communionem sub specie vini.
- 16 Infirmus non valens deglutire particulam, non est communicandus sub specie vini.
- 17 Communio sub specie vini prohibita ob tres causas.
- 18 Infirmo non valenti particulam consecratam deglutire, potest illa ei dari simul cum pauca aqua, aut pauco vino.
- 19 Communio est de præcepto Divino facienda saltem semel in vita. Quo verò ad tempus Paschale, & pro viatico tempore mortis, est de præcepto Ecclesiæ.

SECUNDUS CASUS.

Mortalis tantis ulceribus sauciatus guttur habet, ut solam liquidam possit deglutire. Febris acuta indicat vicinam mortem. Queritur, an sub speciebus Vini consecrati sit communicanda

Pro resolutione casus præmittenda sunt tria.

Primum, quod in Primitiva Ecclesia (ut dictum est supra de Laicali Communionem in secundo Casu mensis Februarii) omnes fideles tam Clerici, quam Laici recipiebant Sacram Eucharistiam sub utraque specie, quando communicabantur in Missa solemnem; nam si extra Missam communicari volebant, vel in domibus privatis ob ægritudinem, sub specie tantum panis Sacra Communio impertiebatur. Eminent. Card. Bona dict. lib. 2. Rev. Liturgic. cap. 18. n. 1. & Casalius de Veterib. Sacris Christian. Ritib. cap. 11. in princ. ubi allegat S. Gregor. Homil. 22. in Evangel. sic dicentem ad populum Romanum in mystica explicatione illorum verborum Exodi 12. 7. Sument de sanguine Agni &c. Videlicet: Quid namque sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Bibebant enim & ipsi Laici de Calice Sanguinem consecratum in Missa. Hoc idem probat supradictus liber antiquus Ecclesiæ Cathedr. Paduanæ pag. 100. ubi agitur de Missa solemni Episcopi, in cuius fine dicitur, quod dabatur Corpus Christi viris, & mulieribus, qui etiam sumebant de Calice Sanguinem Christi cum quadam vitrea virga,

Ad hunc effectum formabantur Calices vastiores, idest summæ magnitudinis; & dicebantur Calices Ministræles, ut notatur à Macro in Hierolexic. eod. verb. quorum unus extat in Thesaurio Ducalis Ecclesiæ Sancti Marci Venetiarum, quem ego vidi, & contineret mediam situlam vini. Materia autem Calicum antiquitatis erat lignea cap. Vassa 44. de consecrat. dist. 1. ubi illa non ignoranda verba: Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur; nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus. Sed quia bibuli imbuebantur Sacro Sanguine, in vitreos mutati fuerunt à S. Zephyrino Papa, ut ex S. Hieronymo ad Rusticum, & ex S. Gregorio Turonensi de Gloria Martyr. cap. 16. tradit idem Casalius d. cap. 11. in princ. & Macer. in verb. Calix col. 2. subdens col. 3. Ex quibus mihi unum videre contigit, quem eximia veneratione penes se Virgilius Spada Innocentii X. Elemosynarius, ad servabat, cui duæ ex eadem materia collaterales anse adjunctæ erant, juxta vetustum morem. Fuit prædictus Virgilius Spada frater germanus Emin. Joan. Baptistæ Cardinalis Spadæ, & Presbyter Congregationis Oratorii S. Philippi Neri in Alma Urbe, pietate, ac virtutibus insignis, benemeritus ob complementum fabricæ Ecclesiæ S. Mariæ in Vallicella, cujus testamentum auro, & eximiiis picturis exornavit, ut testatus est mihi Pater Leander Colloredus anno 1667. nunc S. R. E. Cardinalis amplissimus. Porro cum nimis essent fragiles è vitro Calices, fuerunt prohibiti. cap. Ut Calix 45. ead. dist. 1. de consecr. & loco eorum succedere Calices marmorei, ærei, & ex aurichalco. Casalius d. cap. 11. & Macer. d. verb. Calix col. 4. At proscripti, & hi fuerunt ob æruginem, & nauseosum gustum, atque odorem; & concessus Calix ex stamno. d. cap. Cum Calix. Siquidem, stannum illitum æneis vasis saporem gratiosorem facit, & compefcit æruginis virus, ut disserit Plinius lib. 24. cap. 17. Hæc tamen stannæ Calicis concessio deserviebat pro pauperibus Ecclesiis, nam S. Urbanus Papa, & Martyr omnia sacra ministeria fecerat argentea anno 226. immò temporibus Sancti Laurentii Martyris vasa sacra erant aurea, ut constat ex S. Ambrosio lib. 2. cap. 48. & ex S. Prudent. in Hymn. 8. S. Laurent. anno scilicet Domini 142. temporibus quoque S. Augustini Calices erant aurei, & argentei, ut ex eod. l. 3. contra Crescon. Gramm. cap. 29. quibus inhiabant Donatistæ sacrilega prophanatione, teste Optato Milevitano lib. 6. contra Donatistas. Hinc refert Amalarius à B. Remigio donatum fuisse Ecclesiæ suæ Calicem ministrælem, cui inscripsit hos versus.

Hauriat hinc populus vitam de Sanguine Sacro,
Injuncto, æternus quem fudit vulnere Christus.

Remigius reddit Domino sua vota Sacerdos.

Calicem, quo in ultima Cœna Christus Dominus conlectaverat, argenteum fuisse, notat Emin. Card. Baronius anno 34. & Bedæ temporibus, idest post annum 700. ipse Calix Hierosolymis ostendebatur, ut ipsemet testatur lib. de loco Sancti. cap. 2. Valentia verò Hispania alium Dominicum Calicem Agathæ lapidis conservari affirmat Carthagenæ Hom. 26. forsitan quia plures in Sacra Cœna contactu, & dispensatione Sanguinis Salvatoris nostri consecrati fuere, ut arbitratur Macer in Hierolex. d. verb. Calix col. 5. Barad. in concord. Evangel. tom. 4. lib. 2. cap. 11. Victorell. in addit. ad Aphrosim. Emanuelis Sæ verb. Calix. Et Me. noch

nochi in *Storeis centur. 6. cap. 38. & 39.* ubi ad probandum etiam in Primitiva Ecclesia fuisse usitatos Calices aureos, & argenteos in Sacrosancto Missæ Sacrificio, refert hæc carmina ejusdem Aurelii Prudentii Poëtæ Christiani, qui floruit in fine quarti sæculi:

*Libent ut auro Antistites,
Argenteis scyphis ferunt.
Fumare Sacrum Sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.*

Secundum præmissum: Manus dispensandi Sanguinem Christi fidelibus, communicantibus in Missarum solemnibus, erat Diaconorum; juxta illud, quod S. Ambros. *lib. 1. Officior. cap. 41.* scribit in persona S. Laurentii loquentis ad Summum, Sanctumque Sixtum Antistitem: *Nam degenerem me probasti? Experire certo utrum idoneum ministrum elegeris; cui commissi Dominici Sanguinis dispensationem.* Idem probat prædictus liber vetustus Ecclesiæ Paduanæ p. 100. ibi: *Diaconus in sinistra parte Altaris tenens Calicem cum Sanguine Christi confert omnibus sumere volentibus cum quadam vitrea virga.* Et quia ob multitudinem populi, inevitabiles erant effusiones Sacri Sanguinis, diversæ fuerunt industriae ad eas impediendas. Una fuit, ut Sanguinem consecratum biberent, non per appositionem laborant ad Calicem: sed fistula, seu calamo illum è Calice fugendo, ut diximus supra in secundo casu mensis Februarii circa Papalem Communionem, ubi notavimus, quod prædicta fistula vocabatur Siphon, de qua ait Anastasius Bibliothecarius, & Abbas Romanus, qui floruit anno 858. *Obrulit Calicem majorem fundicum cum siphone pensantem libras triginta,* ut refert Macer in *Hierolex. verb. Siphon*, subdens hæc verba: *Etiā Laici, quando antiquitus sub utraque specie recipiebant Sacramentum, per hanc fistulam Sanguinem sorbeant.* Quod est conforme memoriæ hujus rei registratæ in antedicto libro Ordinis Officiorum Ecclesiæ Paduanæ. Immo ipsa fistula erat alicubi inserta, & affixa eidem Calici immobiliter, scribente Lindano in *Panop. Evangel. l. 4. cap. 46.* *Quia Sanguinis effusio propter incultioris populi rusticitatem merito timebatur, Calicibus canna est ferruminata, affabreque inserta.* Alia testimonia ejusdem siphonis, seu calami, vel fistulæ, quæ etiam Canna dicebatur, allegant idem Macer *dict. verb. Siphon*, & Casalius de *Peterib. Sacri. Christi. Ritib. dict. cap. 11.* quos legisse non pœnitebit antiquitatis studiosos. Altera fuit industria porrigere Eucharistiam intinctam in ipso Dominico Sanguine, cum parvi cochleari; frangebatur enim in frustula panis consecratus; (olim enim non erat in usu panis tenuissimus, quem nos appellamus hostias, seu particulas, Emin. Cardin. Bona *d. lib. 2. cap. 18. sub. num. 3.*) & comminutus in minutulas particulas, quas Græci *μαζαχριν* idest Margaritas vocabant. Macer in *Hierolex. eod. verb.* ponebantur in Calice sacri liquoris pleno; & easdem particulas Divino Sanguine perfusas Sacerdos parvo cochleari extrahabat, singulis singulas præbens, quas omnis populus ore excipiebat. Hunc morem communicandi sub utraque specie in Ecclesia Occidentali & Latina extitisse legitur in *cap. Cum omne crimen 7. de consecr. dist. 2.* & quamvis videatur ibi prohibitum, nihilominus vixisse testantur *Micrologus*, qui vixit anno 1077. tempore Gregorii VII. in *cap. 19.* Et Ivo Carnotensis Episcopus, qui floruit anno Doct. Clericali Tom. I. Lib. II.

1088 tempore Urbani II. in *2. part. cap. 11. & 85.* Et de eadem Communione, cum pane intincto in Sanguine Christi, in antiquis consuetudinibus Monasterii Cluniacensis *lib. 2. cap. 30. tom. 4. Spicilegii*, dicitur: *eam permitti propter novitios, & alios rudes, qui si Sanguinem separatim acciperent, vix fieri posset, quin aliquam negligentiam incurrerent.* In Anglia pariter adeo erat propagatus usus intinctæ Communionis, ut eum prolixè defenderit Ernulfus Rossensis Episcopus in *Epist. ad Lambertum d. Spicileg. tom. 2.*

In Ecclesia autem Orientali mos intinctæ Synaxis & usitator, & antiquior fuit, itaut suspiceretur Arcudius de *concordia Eccles. Orient. & Occident. lib. 3. cap. 53.* tempore S. Joannis Chrysostomi originem habuisse ex facto cujusdam mulieris Macedoniana, quæ se Catholicam simulans, de manu ejusdem Sancti Eucharistiam suscepit, quam ancillæ oculo dedit, & panem non consecratum ab eadem acceptum ori imposuit, qui in lapidem versus est. Quidquid sit de origine moris prædicti apud Græcos, eos hanc consuetudinem, sibi à majoribus suis traditam, populum communicandi sub utraque specie, non seorsum, sed simul mixta, servare usque in hodiernum diem profitetur Emin. Cardin. Bona *Rer. Liturgic. d. lib. 2. cap. 18. num. 3.* Immo ipsi Græci feria quinta majoris hebdomadæ panem recentem solito majorem præparant, & consecrant, servandum toto anno pro Communione infirmorum; quem panem ita consecratum Sanguine Christi leviter humectant, tum sacro disco ignem subjicientes illum exsiccant, & indurescere faciunt, ne per totum annum corruptioni subiaceat. Cùm autem contingat communicare ægrotum, particulam dicti panis consecrati, & Christi Sanguine jam delibuti tollunt & in cochleari vino communi perfundunt ut emollescat; eaque sic emollita communicant infirmum, ut diffuse scribit Leo Allatus *Epist. 2. ad Nibesium in suis Symnithis lib. 1.* & refert Laudatus Card. Bona *d. lib. 2. cap. 18. num. 2.* Porro talem consuetudinem improbat Innocent. IV. in *cit. Constit. 14. incipien. Sub Catholica*, quam ponit etiam Quaranta in *Summ. Bullar. verb. Græcorum ritus pag. mihi 349.* in qua præcipitur, Eucharistiam pro ægrotis renovari per singulos quindecim dies ab iisdem Græcis, quorum consimilem ritum insectatur etiam Humbertus Cardin. Sylva Candida in *lib. advers. calumn. Græcor. polito in Biblioth. Patrum. tom. 11.* Porro etiam his temporibus apud Russios, seu Moscovitas vigere consuetudinem communicandi populum, dando unicuique panem consecratum intinctum, & perfusum Sanguine Christi, illum porrigendo in cochleari ad evitandum periculum effusionis, testantur Henriquez *lib. 8. de Euchar. cap. 44. num. 7.* & Petr. Comestor. in *Hist. Eccl. cap. 151.* quos citat Diana *part. 8. tract. 1. resol. 25.* Quæ est in Coordinato Opere *tom. 3. tract. 1. resol. 50.*

Tertium tandem præmissum: Cùm minimè sufficientes forent hæc industriae ad impediendas frequentes irreverentias in Communione populi sub utraque specie, ob effusiones Dominici Sanguinis, quæ contingebant ex Ministrorum Ecclesiæ, & rudium fidelium incuria; sive cùm Calicem propinandum porrigebant, sive cùm siphone ad sugendum, sive etiam cùm intinctam Eucharistiam in cochleari dabant, præter prohibitionem intinctæ Communionis, de qua in *cit. cap. Cum omne crimen 7. de consecratione dist. 2.*

Concilii Claramontani anno 1095, de quo Cabafutius in *Notitia Concil.* pag. 394. can. 28. Paschalis Papæ II, de qua Emin. Card. Batonius Anno 1118. num. 2. Et Concilii Anglicani sub Richardo Archiepiscopo Cantuariensi Anno 1175. cap. 15. paulatim cœpit in defuetudinem ire Calicis Communio in Ecclesia Latina; Prælati ubique nitentibus, populum sub unica tantum specie panis communicari, tum ad tollendos abusus in usu Calicis inevitabiles, illum minus cauti, seu attenti de manu alterius recipiendo; tum ad eliminandum errorem, saltem in rudioribus, opinantibus sub specie panis consecrati non contineri Sanguinem Domini; ejus causa Rodolphus Abbas S. Trudonis, qui vivebat Anno 1110. removeri à Laicis Calicem suavit his versibus:

*Hic, & ibi cautela fiat ne Presbyter agris,
Aut sanis tribuat Laicis de Sanguine Christi:
Nam fundi posset leviter; simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus JESUS utraque.*

Igitur cum ferè ubique esset introducta consuetudo communicandi Laicos sub sola specie panis, insurrexerunt Hussitæ hæretici, (ita nominati ab eorum Authore Joanne Hus,) asserentes Communionem sub utraque specie esse toti populo ad æternam salutem necessariam; quapropter convocato generali Constantiæ Concilio Anno 1415. (ad quod citatus personaliter accessit Hæresiarcha Joannes Hus Sacerdos Bohemus, qui ceperat inficere Ecclesiam suo hæreseon veneno, Anno circiter 1407. teste Salellio lib. 3. cap. 17. regul. 285. convictusque de erroribus, & in eis pertinax existens, fuit condemnatus, degradatus, & traditus brachio seculari, & per illud vivus igne combustus; ejus quidem Hæresiarchæ condemnationis sententiam ex Bzovio Anno 1415. fol. 425. transferibit Salell. in cit. regul. 285. a. n. 34. & inter cæteros Hussitarum errores cum fuisset proscriptus & ille, *Impium inventum, & Evangelio contradicere esse Communionem in solo pane, excluso Calice;* tandem Concilium Constantiense prædictum sess. 13. definiit: *Receptam dudum consuetudinem communicandi populum sub sola panis specie sic approbat Synodus Constantiensis, ut aliter fieri sub Excommunicatione veter.* Et hoc Decretum, ad compescendos Lutheranos, & Calvinistas, eundem errorem de Communionem sub utraque specie suscitantes, confirmavit Concilium Trident. sess. 21. c. 1. & 2. & subinde can. 1. & 2. in quibus Anathemate percutitur, *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistia Sacramenti sumere debere. Vel Sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conscientibus, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse.* Objectiones Novatorum contra hæc Conciliaria Decreta, & earum solutiones ponunt Scholastici, & erudite quidem Leonard. Lessius in *Opere posthumo* qu. 80. de *Sacrament. Eucharist.* art. 12. dub. 1. Gonetius tom. 5. de *Euchar.* disp. 9. art. 3. Eminent. Card. de Lauræa in 4. sent. tom. 1. disp. 25. art. 5. & novissimè P. Richardus Ardekin. in *sua Theol. Tripartita* tom. 1. tract. 2. cap. 5. à num. 5. & seqq. necnon Agudius de *Sacram. Eucharist.* part. 4. cap. 6. num. 14. & 15.

His ita enucleatis respondendo casui proposito:
16 *An sub specie vini sit communicanda Monialis in articulo mortis, cum non posset deglutire particulam? fere omnes dixere, non esse sub specie vini*

consecrati communicandam; ut docent Fagundez Pitigianus, Suarez, Mercerus, & Sylvius, quo allegat Diana part. 5. tract. 3. resol. 34. reposita in *Coordinato* tom. 2. tr. 2. resol. 98. quibus ego adjungo Pacem Jordanum tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 34. Gobatum in *Theolog. Experim. tract.* 4. num. 27. Barbosam de *Parecho* cap. 20. num. 44. & Emin. Card. de Lugo in *Respons. Moralib.* lib. 1. dub. 10. num. 8. Horum ratio est, quia Sacramentum Eucharistia non est simpliciter necessarium ad salutem, & non obligat nisi cum debitis circumstantiis, præscriptis ab Ecclesia; quarum una est, ut administretur Laicis, & Clericis non conscientibus sub specie panis tantum, ad reprimentam hæresim eorum, qui negant contineri Sanguinem Christi sub specie panis; nec non errorem illorum, qui asseriebant, esse præceptum Christi de communicando sub utraque specie; ac etiam ad evitandum periculum effusionis: adeocon convenit Catholico Populo Ecclesiæ mandatis obedire, & Decretis Conciliaribus parere ob tam relevantia motiva. Nonnulli contrarium scripserunt, sequentes Petrum Ochagaviam de *Sacram. tract.* 2. de *Eucharist.* effect. 9. 18. num. 9. & Nugnum in 3. part. tom. 1. qu. 80. art. 12. conclus. 3. putantes dictam infirmam esse communicandam sub specie vini consecrati, ea ratione, quia supponunt, Communionem in articulo mortis esse de Præcepto Divino, cui cedere debet Præceptum Ecclesiasticum de abstinendo à speciebus vini, prout cedit illud de jejuniis. Cæterum, cum non conveniant, sed dissentiant Theologi, an Viaticum sit sumendum in articulo mortis ex Præcepto Divino; negant enim Cajetan. in *Summa verb. Communio.* Armilla eod. verbo num. 4. Sylvest. verb. *Eucharistia* 3. Ledelma 1. part. 4. qu. 21. art. 11. dub. 2. & Emin. Cardin. de Lauræa dict. disp. 25. num. 38. & num. 47. Quamvis affirmet Suarez, disput. 69. sect. 3. Valquez, disput. 214. cap. 2. & 3. Sotus in 4. dist. 12. quest. 1. art. 11. & alii, quos allegat, sequitur Collegium Salmanticense in *Cursu Theologiae Moralit.* tom. 1. tract. 4. cap. 8. num. 4. Tutius est adhærendum opinioni negativæ, & dicendum, infirmam prædictam non esse sub speciebus vini communicandam; sed juxta monitionem Pacis Jordanii, lib. 3. tit. 3. num. 34. ei præbendam fore particulam Hostiæ consecratæ immixtam aqua, vel vino ordinario, ut eam sic possit deglutire; cum enim sit adeo tenuis, & modica quantitas particulæ consecratæ, vel etiam dimidium, aut quadrans unius particulæ, (quod quidem sufficit ad Communionem prædictam) si porrigatur, ut absorbeat eam cum aqua, vino ordinario, recipiet Sacramentum sine offensione legis prohibitoria speciei vini consecrati, quam ob gravia motiva sub Anathemate Ecclesia condidit, & quæ æstimatur pluris lege jejunii; siquidem super præcepto jejunii expresse dispensat Ecclesia pro dando Viatico in articulo mortis, ut omnibus patet; sed non dispensat super prohibitione speciei vini. Ex his penitus reprobatur esse debet consilium illius Theologi, de quo Gobat d. tract. 4. num. 28. & Bissus in *Hierurgia Sacram.* tom. 1. lit. L. num. 119. §. 7. qui Bissus & Gobat etsi docti, & eruditi, tamen in resolutione hujus casus modò asserunt, & modò negant, & lectorem studiosum sinunt ancipitem. Igitur ratio opinionis negativæ est, quia sumere Eucharistiam est de Præcepto Divino quo ad obligationem suspendi illam, saltem semel in

ita. Quo vero ad plures vices communicandi, & sic quoad tempus illam sumendi, sive semel in anno, sive tempore mortis, est de praecepto Ecclesiae, ad quam spectat declarare, quando fideles debeant communicare; prout declaravit eos obligatos semel in anno tempore Paschali, cap. Omnis utriusque sexus, de Penitent. & Remiss. & in articulo mortis, cap. De his 9. 26. q. 6. ut demonstrabimus infra in primo Casu mensis Septembris ex doctrina Eminent. Cardin. de Laurea d. disp. 25, art. 2. & art. 3. ubi expresse probat: Communionem in articulo mortis esse de praecepto Ecclesiae, non autem de praecepto Divino.

DECISIONIS XV.

Ad Martii Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Examinatur, an aliquæ personæ devotæ sint communicandæ in die Sabbati post Missam? Rationes pro, & contra referuntur. Plures traditiones dantur circa Missam Sabbati Sancti, quæ olim de nocte celebrabatur. Resolvitur Casus sub distinctione.

SUMMARIUM.

- 1 Sabbato Sancto Laicis non infirmis non est danda Communio? & quibus rationibus? num. 4.
- 2 Communio in Missa Sabbati Sancti cur non dicatur?
- 3 Laici sani possunt communicari in Sabbato Sancto.
- 5 Exceptio in uno casu firmat regulam in contrario.
- 6 Inclusio unius est exclusio alterius.
- 7 Sabbati Sancti Missa olim dicebatur à solo Episcopo, & de nocte.
- 8 Consuetudo universalis habet vim legis.
- 9 Concessum dicitur, quicquid expresse prohiberetur non reperitur.
- 10 Sabbato Sancto possunt Sacerdotes Missam privatim celebrare secundum aliquos DD.
- 11 Cap. Sabbato. de cons. dist. 3. censetur abrogatum.
- 12 Feria sexta Parasceves nullus Laicus sanus est communicandus.
- 13 Hebraei vigilabant in nocte ante diem Pasche.
- 14 Sabbato Sancto an Missa cantaretur in principio noctis, an media nocte?
- 15 Christiani antiquitus communicabantur in nocte Sabbati Sancti ad Missam.
- 15 Communio Antiphona est signum letitiae.
- 17 Christus Dominus quâ horâ resurrexerit?
- 18 Consuetudo est in pluribus Ecclesiis communicandi fideles Sabbato Sancto.
- 19 Consuetudo particularis praefertur generali.
- 20 Consuetudo negativa in facultativis non praesudicat.
- 21 Favores sunt ampliandi.
- 22 Devotio est actus Religionis.

CASUS PRUDENTIALIS

Mos est nonnullis Ecclesiis, in quibus devotio circa Eucharistia frequentem sumptionem colitur, ut Sabbato, completa illius diei solemnè Missa, accedant devota persona Sacram Communionem

receptura. Queritur à prudentia Parochorum: Utrum sint communicandæ?

Alii responderunt negativè cum Gayando in Rubric. Missal. p. 4. tit. 10. num. 38. & 46. Cotonio lib. 2. controversi. 4. num. 174. Volpi resol. 62. num. 2. Azotio tom. 1. lib. 10. cap. 24. quas. 3. & 4. Arnaudo in Epitom. Sac. Rit. part. 4. tit. 10. num. 29. Francolino de Floris Canon. cap. 30. num. 12. Marchino de Sacram. Ordinis tr. 3. part. 3. cap. 8. num. 3. & novissimè cum Macro in Hierolexic. verb. Communio, ubi ait: In Missa Sabbati Sancti hæc Antiphona (Communio) idèò non dicitur, quia Communio populi non fit. Itaque abusus etiam censendus est illorum, qui Communionem concedunt in hac die.

Alii verò responderunt affirmativè cum Bauldry in Manuale Sacrar. Ceremoniar. part. 4. cap. 11. art. 5. num. 15. Quintanadven, tract. 4. Singular. 6. Castaldo in Praxi Ceremoniar. lib. 3. sect. 8. cap. 5. num. 14. Qui in puncto concedunt, posse Laicos communicari, completa Missa solemnè in die Sabbati Sancti; & cum sequentibus etiam Theologis (idem asserentibus non bene in die Veneris Sancti) videlicet Quarto in Rubric. Missal. part. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 3. in fine Pellizar. in Manual. Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 108. Tamburini. de Expedit. Commun. cap. 6. num. 4. Victorelli. in addit ad Possévin. de offic. curat. cap. 8. Joannes Sanci in Selectis disp. 22. n. 20. Diana part. 6. tr. 6. resol. 19. & part. 9. tract. 7. res. 24. quæcum hæc ultima est in tom. 2. Coordinato tract. 2. resol. 46. prior verò in tom. 8. tract. 4. resol. 46. & utrobique plurimos Moralistas idem docentes allegat, quibus novissimè adhæret Colleg. Salmant. in Cursu Theol. Mor. tom. 1. de Sacram. in genere tr. 5. cap. 4. num. 5.

Rationes opinionis negativæ sunt. Primò: ob cap. Sabbato 13. de consecrat. dist. 3. ubi Innocent. Papa I. ait: Utrique constat Apostolos biduo isto (Veneris Sabbati Sancti) & in morare fuisse, & propter metum Judæorum se occultasse. Et idèò subdit Traditio Ecclesie habet, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Secundo verba rubra Missalis feria quinta majoris hebdomadæ, statim ante Communionem hujuscemodi tenoris: Hodie Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum unam sumit, alteram reservat pro die sequenti in quo non conficitur Sacramentum: reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis. Ergo qui non est in statu infirmitatis mortalis, non est communicandus in hoc biduo; nam exceptio in uno casu firmat regulam in contrario l. Quæstum 5. Denique ff. de Fundo instruct. Gloss. in Rubr. de Regul. jur. in 6. Barbofi. Axiom. 85. num. 4. Et si Rubrica Missalis includit infirmos in reservatione particularum consecratarum, excludit sanos; siquidem inclusio unius est exclusio alterius cap. Qualis 25. dist. 1. Cum Prator ff. de Judic. Thomalett ad Flor. legum, regul. 159. Barbofi. in Locis commun. loco 55. ubi DD. Tertio: quia respondit S. Rituum Congregatio die 9. Maji 1606 servandam esse universalem Ecclesie præsentem consuetudinem, non ministrandi Eucharistiam in die Veneris Sancti, nisi infirmis: Ita Gavanti. par. 4. Rubr. Missal. tit. 9. num. 25. Et iterum idem præcepit die 19. Februar. 1622. teste Barbofi. de Paroch. cap. 20. num. 16. Quarto: quia Missa solemnè quæ celebratur Sabbato Sancto, non est Missa diei illius, sed noctis sequentis, in qua